

C. 151 ^{a.}

PROLVSIO
QVA
AD
ORATIONES VII.
QVAE
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. XXVIII. AVG. A. cIcIcc XXXVI.
HABEBVNTVR
AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
INVITAT
RECTOR
IO. AVG. ERNESTI

LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.

*R. de ingenio et artificio libror.
Ciceronis de Oratore.*

PROLOGO
A
TITULUS LIBRI
SCOLIA THOMAS
ANNA



Ch 2218(1)



Vnus omnium maxime celebratus semper est, et celebribitur sine dubio, dum sua literis laus honosque constabit, Cicero. Huius ingenio nullum inde a rerum humanarum origine maius extitisse, cuius ad nos memoria peruererit, eiusque libros reliquis, qui quidem ab ingenuo humano profecti sint, omnibus longe esse multumque anteferendos, id vero ita confirmant omnes, vt, quo quisque plus se in hoc genere putat videre, eo fere magis id confirmandum sibi ac propugnandum putet. In hac tanta omnium in Cicerone laudando efferendoque consensione et conspiratione, quis crederet, nisi res ipsa loqueretur, hunc ipsum iam pueris notum ac tritum Ciceronem paucissimis cognitum satis esse, eique idem, quod virtuti, accidere, quae vno omnium ore laudatur maxime, eademque iacet ubique et vehementer contemnitur. Quodsi nosse Ciceronem is dicendus esset, qui quasdam eius orationes ac epistolas et paucos alias eius libellos inde a scholasticae aetatis temporibus ita cognitos habeat, ut, quid ibi fere agatur, sciat, qui eos ad verbum reddere Germanice e Cellarii vocabulario possit, qui sententiolarum ac phrasium quadam copia refertam memoriam habeat, ac denique de ipso Cicerone trita quaedam queat ac perulgata commemorare; non esset profecto, quare non satis multum cognitum Ciceronem putaremus. Sed maioris profecto studii, laboris, eruditionis, ingeniique res est, Ciceronem penitus nosse, hoc est, non solum, quicquid Grammaticorum, et Criticorum ars ad eius libros intelligendos suppeditat, in promptu habere, sed etiam, quod multo maius, certe utilius est, quam in scriptis suis expressam reliquit imaginem diuini ingenii sui, eam

cognoscere ac plane videre. Recte huc transfluleris, quae Dan. Heinsius, cum miram artem satirae Horatianae ac venustatem demonstrasset, addit: *Magni bac aetate viri voces quidem ac dicendi genera, addo et antiquos ritus, et id genus alia maximo labore illustrarunt ac diligentia: Cetera vero, cum quibus ista ne sunt comparanda quidem, et quasi anima scriptoris, e profundiore aliqua eruditione petenda sunt. Genius autem nisi ab eo capi non*

a) *De Satir. potest, quem similis adflavit.*⁴⁾ Sed de ea re fuse atque ex insti-
Horat. in tuto dicendi occasio dabitur opportunitior, cum Ciceronis operi-
fin. p. m. bus, in quibus edendis cummaxime laboratur, praefabimur.

174. Nunc hoc agemus potius, ut illustri aliquo Ciceroniani ingenii
atque artificii specimine proposito, cupiditatem eius accuratius
cognoscendi adolescentibus iniciamus, qui in discendis bonis li-
teris et artibus versantur.

Nuper enim cum totius mihi Ciceronis vna serie perlegen-
di imposita esset necessitas, qui nouae, quae hic inuentuti com-
paratur, editionis curam in me suscepissim; quamquam non sa-
tis opportuno tempore res ista contigerat, quod ab aliis me, pene
absolutis, laboribus abstraherat; tamen, cum semper ita existi-
massem, quicquid in Cicerone consumeretur temporis, id, quam
fieri posset, optime collocari, gratus iste labor mihi vehementer-
que iucundus accidebat. Quo quidem tempore memini, cum

b) *Ad Atti. illos ipsi Ciceroni vehementer probatos de Oratore libros*⁵⁾ lege-
cum. XIII, rem, tanta me voluptate perfundi, ut, quos saepe iam legendo

19. contriuissim, omnem tamen nouitatis gratiam obtinerent, vehe-
menterque in eo, quod ante iudicaram, praeque me tuleram sem-
per, confirmarer; cum Cicero omnes omnium temporum facile
superasset scriptores, in his eum libris esse a se ipso superatum.
Nam cum in ceteris scriptis singulas fere ingenii dotes demon-
strauerit, tum vero in his id videtur egisse, ut non modo totum
illud diuinum ingenium exprimeret, et quantum eloquentia, eru-
ditione, venustate et lepore praefasaret, illustrissimo documento
ostenderet, sed etiam omnem Romanorum principum in consue-
tudine et sermone quotidiano elegantiam ac venustatem com-
pleteceretur. Atque id ut facilius appareat, age rem paullo accu-
ratio

ratio, etiam speciminiis allatis, demonstremus, non his, quorum diurna et crebra Ciceronis lectio subactum est et ad iudicandum accommodatum ingenium, qui sua profecto sponte haec vident, sed his, qui, quod praeter ieuna dicendi praecepta et quosdam verborum flosculos nihil hic quaerendum putant, ab eorum se lectio absterri patiuntur, aut verae Ciceronianorum scriptorum pulchritudinis gustum non habent, aut his denique tanquam sacris cupiunt initiari.

Ac primum quidem non hic vnum aliquem de schola et vmbra Rhetorem deprehendimus, qui tritam nobis et peruvlgatam praeceptorum rhetoriconum ^{c)} cantilenam decantet, et ieuna ^{c)} Ep. ad atque exsangui dicendi ratione, qua fere vtuntur, qui artis praecepta tradunt, frigus legentibus iniciat. Non cadit illa, neque in Consularem virum humilis professio, neque in vbertatem Ciceroniane facundiae fames et ieunitas. Neque vero nobis oratorem Cicero fingit eiusmodi, qui vulgares dicendi locos teneat, et ad dicendum excitatus aliqua occasione, commentationis laborem in excutiendis litorariis, et per omnia lexica, Polyanthea, mundos symbolicos corroganda stipe consumat. Ignoravit stramineam istam ac ligneam eloquentiam antiquitas. Sublimius quid est ac illustrius, quod ipsis libris Cicero proposuit. Quid ergo? Primum, quod ipse ait, ^{d)} omnem antiquorum, Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam persequitur, et quae quisque reconditae artis habet, et a sensu vulgi remota, ea libris illis, praetermisis vulgaribus, complectitur. Oratoris deinde speciem et quasi formam effingit eiusmodi, qua magnificentius nihil esse in isto genere ac diuinius possit, eumque nullius artis liberalis ac scientiae rudem esse patitur ac imperitum. ^{e)} Oratione denique ^{e)} De Oratione I, 6. vtirur, tam ornata ac luminibus distincta, tam apte suauiterque fluente et cadente, ut nihil suauius in isto genere dici cogitarique possit. Quae res ipsa profecto magnopere animaduertenda est atque imitanda his, qui de rebus magnis vel praecepta tradunt, ne in quo Caecilii de sublimitate librum reprehendit Longinus, ^(*) subli-

A 3

(*) περὶ ὕψους L. I. κακιδία συγγραμμάτων ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὕψους ὑποθέσεως vel τῆς ὕλης ut Pearce placet. Caecilii liber humiliori filio scriptus est, quam postulat materia.

sublimis ille sublimitatis magister, in eo ipso quoque reprehensioni incurant. Scholastica barbaries hanc quoque nobis consuetudinem attulit, ut de quibuscumque rebus eodem modo disseratur, neque vñquam a tenui et exsangui dicendi ratione discedatur. De Deo cum scribimus, iidem sumus, qui cum de triangulis Mathematici, aut de ente et essentia metaphysici praecipiunt, neque illa modo venustate carent, quae per totam ora-

f) Quintil. tionem, etiam in tenui genere, fusa esse debet, f) sed illa etiam Inst. Or. IV, sublimitate, quae rebus sublimibus propria est. Itaque nunc no-
2. VIII, 3. bilissimis disciplinis paene singulis, tanquam monogrammis Epicureorum Diis, pallorem in ore sedere maciemque in corpore toto videoas. Veteres diuinam eloquentiam Platonis et Aristoteli in libris dogmaticis, quos vocant, demonstratam, reprehendente-
runt vero? immo vero admirati sunt, et quantum potuere, imita-
tati. Vnus locupletissimus testis Cicero esse potest, cuius multa sunt in philosophicis libris magnificaee, mehercule, et sublimes dictiones, qualis est, ut vnam de multis adducam, illa de pro-
videntia diuina et sapientia in rerum naturalium fabrica demonstra-

g) De Nat. ta. ^{e)} Sed in omnibus his Ciceronis libris summa est eloquentia, Deor. L. II. non ea, quae ex puerorum opinione in tropis et figuris tota po-
37. sq. natur, quamquam et horum ornamentorum satis magna ibi copia est, sed quae remota quidem sit a contentione forensi, verum ner-
uorum tamen multum, gratiae, venustatis, saepe etiam sublimi-
tatis habeat. Sed redeamus ad rem.

Alterum quod hos libros mirifice commendat, aut multis certe ornamenti locum fecit, quibus fere carent, qui in praeciptis versantur, ipsa illa est a Graecis in primisque Socraticis inducta et Ciceroni quoque usurpata et frequentata in disputatione ac dialogo scribendi ratio. Vereor, ut hoc omnes, aut quale sit, intelligent, aut vere iudicari potent; quando haec ratio adeo nunc est obsoleta ac pene contenta, ut praeter Gallos quosdam et Anglos nemo fere sit, qui ea vtatur: quod quidem, fateor, me si e numero admiratum esse. Nam cum, de his rebus qui iudicant, fere veteres sequi soleant auctores, quod hi tantum in toto isto genere viderint, ut eorum opiniones regularum vim ob-
tinere

tinere possint; qui sit tandem, vt hoc sapientissimi veterum non modo probatum, sed libenter etiam usurpatum genus iaceat ita et relinquatur? Sed hoc quoque genus est eiusmodi, vt nihil eo quidem sit excellentius, sed idem etiam difficillimum, vt mihi prosector magis propter difficultatem relictum esse, quam in contemptum venisse videatur. Nam primo, quae in eo regnat orationis venusta subtilitas, imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.^{b)} Deinde vero, quae b) Cic. in praeterea accedunt in ipso interrogandi respondendi modo Oratore veneres, eas vero, quamquam non sunt e recondita aliqua arte petiae, aut studiose quaesitae, sed e vita quotidiana sumtae, et sua sponte natae; tamen, quod fere maxime naturalia sunt, viioso artificii studio, vel maxime difficultia, paucissimi assequuntur. Itaque etiam Aristoteles, in subtili illa ratione non contemnendus artifex, et discipulus eius a diuino dicendi genere Theophrastus appellatus, a dialogis scribendis abhorruere, quod Platonicae illam et Xenophontem pulchritudinem et venustatem differenter se consequi posse. (*) Neque tamen dubito, quin hac quoque de causa in contemptum sit haec adducta ratio, quod eius pulchritudo et venustas non ita eminet, vti orationum lumina, quae vel stupidissimi cuiusque aciem feriunt et praesinguunt. Ea enim res facit, vti quemadmodum ἀγέοις apud Theophrastum μύρον ἔδειν ήδιον θύμας ἔχειν ait; sic homines non habentes neque aurem neque mentem his occultis veneribus notandis longo vsu adsuetam, parum iis moueantur. Sed quae tandem sunt istae huius rationis non modo veneres, sed etiam, vt hoc addam, commoditates? Primo, quam dixi, iis propriam esse tenuitatem, ea vero tantas suavitates habet, vt, si quis iis percipiendis animaduertendisque sit adsuetus, vehementer ea delectetur. Quod quidem vel Caesaris in eo genere scripti commentarii demonstrant, quibus etsi pauci magnopere capiuntur, ipse tamen Cicero vehementer

c. 23.

(*) Aristoteles scriptis ille quidem vel Plutarcho teste, dialogos, et quidem eo more, vt vna sententia praevalerer, quod ex Cic. Att. XIII, 19. intelligi potest; sed paucos, neque magnopere celebratos. Quae res fecit fortasse, vt nullus dialogorum eorum ad nostram aetatem peruerterit.

i) In Bruto menter eos est admiratus.ⁱ⁾ Deinde quae Comoediis suavitatem tantam afferunt, ut earum lectione satiari nequeamus, varietas personarum et ingeniorum, apti cuiusque aetati, ingenio, conditioni studiisque mores, ioci et facetiae, ea vero omnia dialogis quoque propria sunt. Quodsi viua vox est literis et ad delectationem iucundior, et ad erudiendum efficacior; nonne idem disputationibus huiusmodi tribuemos, in quibus homines vel mortuos pene ipsos loquentes audimus? Quid? illae crebrae in his in primis Ciceronis libris disputationis acrioris remissiones, quibus ipsa etiam cogitandi contentio remittitur, quantum suavitatis habent? In dialogo enim qui scribunt, auctore Cicerone, instruere ita possunt disputationes, ut interdum ad alias iucundiores, faciliores certe, res digrediantur, aut ad iocum risumque, arrepta occasione aliqua, descendant, aut differendi negotium cum lepore aliquo et venustate vel deferant alicui, vel detrectent, vel tandem suscipiant. Inducere etiam licet in media disputatione rem inopinatam quamcunque, tamquam inopinato aduenientes hospites, qui dum, salutatione mutua facta, in disputationem arte aliqua implicantur ipsis, animus cogitatione defessus cum voluntate singulari recreatur. Illud ipsum commodum accidit in sermone scribentibus, quod, quoniam cum loquimur, rei magnitudine, praestantia, turpitudine fere commouemur, et sermo, tamquam tabula, referre imaginem animi debet, assurgere interdum potest altius oratio, et ad declamationis pene vim traduci. His rebus, praeter primam illam, omnibus, multum profecto ad iucunditatem delectationemque valentibus, quoniam carent caeteri, qui versantur in artis alicuius aut disciplinae parte, libri; quis non vel coniectura assequitur, quanta sit cum omnium dialogorum Ciceronianorum, tum horum in primis de Oratore pulchritudo et iucunditas, in quibus ista omnia ita insunt, ut in nullo alio magis? Id ipsum aetem quanti ingenii et quam politi artibus liberalibus, quam venusti facetique, quantae deinde etiam facundiae et artis sit, facile omnes intelligent.

In personis porro diligendis, quibus ista de Oratore disputatione mandaretur, et suis cuique partibus tribuendis, quantum se

Cicero

Cicero artificem probauit? Noua erat Ciceronis de perfecto Oratore sententia. Iam nouae sententiae hoc fere fato sunt omnes, ut aegre recipiantur; cum multas alias ob causas, tum vero, ut mihi videtur, hanc in primis, quod, qui non idem viderunt, aut aliter statuerunt, aegre ferunt, hoc credi atque existimari, alium plus vidisse, atque in graui se esse versatos errore. Hanc inuidiam vt ab illa forma oratoris amoliretur, totam illam sententiam mortuis, quibus fere parcit inuidia, iisque eloquentissimis attribuit, suas nullas in tota disputatione partes fecit, quod, quo tempore ea habita esse dicitur, ea puer sedecim annorum fuerat. Eam porro Ciceronis sententiam solebat impugnare Quintus frater,^{k)} qui eloquentiam ab elegantia doctrinae segregandam putabat, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam. Quid ergo aptius erat, quam duos feligere, quorum alter, omni liberali disciplina imbutus, alter vero ingenii vi exercitationisque labore dicendi facultatem consecutus esse putaretur? Tales erant L. Crassus et M. Antonius; ^{l)} hi igitur in libro primo disputant. Iam iidem, etsi summus orator vterque erat, tamen in diuerso genere excellebant. Et Antonio quidem omnia veniebant in mentem, eaque suo quaeque loco, vbi plurimum proficere et valere possent, ab illo collocabantur: verba ipsa autem non erant elegantissimo sermone, ideoque diligenter loquendi laude carebat.^{m)} Crassi autem erat non solum latine loquendi accurata, et sine molestia diligens elegantia, sed etiam in omni genere elocutionis summa facultas.ⁿ⁾ Poteratne igitur accommodatior quisquam de inventione disputator Antonio, de elocutione autem Crasso, induci? Scaeualam Crassi illius sacerum gravissimum hominem iurisperitorum eloquentissimum fuisse idem Cicero prodidit,^{o)} Caesarem vero facetissimum et iocandi minimum artificem. Quomodo ergo horum personis vsus Cicero est?
Ita, vt, quo loco de Iure Ciuiili incideret quaedam disputatio, eo vero adhiberetur Scaeuela; quo autem de iociis et facetiis, ibi remoueretur,^{p)} eique substitueretur Caesar.

^{k)} L.I. c. 2.

6.

^{l)} L.II. c. 1.^{m)} c. 39.ⁿ⁾ c. 38.^{o)} c. 39.^{p)} L.II. c. 3.

Sed quam liberaliter habuerit a se dilectos disputatores, vide. Est, vbi Cicero se dicit vereri, ne hoc de rhetoriciis praceptis

ceptis scribendi genitū minus dignum homine grandaeuo, eoque Romano et consulari videatur. Leuiora enim talia videri, quam quibus senex, summis honoribus gestis, tantum temporis tribueret, totumque genus illud hominibus umbraticis et Graeculis esse aut iuuenibus saltem relinquendum, quorum aetas in istis artibus tractandis versari sive turpitudine posset. Iam eti Cicero secus videbatur, non erat tamen aequum, ex suo ingenio fingere alios, ac quae videbantur ipsi dignitati suae non aduersari, ea aliis quoque tribuere, quos, propter multitudinem sic opinantium, probabile erat ab ipso dissensisse, certe, quid senserint, incertum. Quid hic Cicero noster, et qua arte hanc reprehensionem effugit? Tempore ludorum Romanorum, ait,¹⁾ quasi colligendi sui causa, Crassum cum socero Q. Mucio Scaeuola et M. Antonio, duobus adolescentibus C. Cotta et P. Sulpicio in Tusculanum exiisse. Ibi vero secundo die, cum in ambulationem ventum esset, duobus spatiis tribusue factis, eos Scaeuelae admonitus sub platano umbrosa consedisse; ibique sermonem esse a Crasso de eloquentiae utilitate illatum,²⁾ qui deinde occasionem dederit Cottae et Sulpitio rogandi Crassi, ut de eloquentia querentibus responderet, idque eos multis demum precibus admotis, deprecante etiam Scaeuela, consecutos esse, vt

- ³⁾ I, 7. prehensionem effugit? Tempore ludorum Romanorum, ait,¹⁾ quasi colligendi sui causa, Crassum cum socero Q. Mucio Scaeuola et M. Antonio, duobus adolescentibus C. Cotta et P. Sulpicio in Tusculanum exiisse. Ibi vero secundo die, cum in ambulationem ventum esset, duobus spatiis tribusue factis, eos Scaeuelae admonitus sub platano umbrosa consedisse; ibique sermonem esse a Crasso de eloquentiae utilitate illatum,²⁾ qui deinde occasionem dederit Cottae et Sulpitio rogandi Crassi, ut de eloquentia querentibus responderet, idque eos multis demum precibus admotis, deprecante etiam Scaeuela, consecutos esse, vt
- ⁴⁾ I, 8. se facturum polliceretur.³⁾ Haec profecto, rus, otium, appositi iuuenes eruditii cupientes et rogantes, tota disputatio casuata et precibus extorta, haec, inquam, omnem illam reprehensionem elidunt. In horum omnium autem enarratione vix imitabilis venustas et lepos est. Vnus ille de platano locus tot profecto Veneres habet, ut nihil eo sit admirabilius. Sed descriptione et artificio totius in vniuersum operis demonstrato, age etiam illud breuiter ostendamus, speciminiibus propositis, quod supra diximus, imaginem in his sermonibus esse Romanae elegantiæ, humanitatisque expressam, ad quam nostrorum hominum vel summa elegantia ne sit comparanda quidem.
- ⁵⁾ I, 22. In libro primo inducitur cum Crasso loquens Q. Mucius homo natura seuerus sua, et in spinosa Iuris et horrida, ut tum erat, disciplina multos annos versatus, magnus natu et, quod caput

In libro primo inducitur cum Crasso loquens Q. Mucius homo natura seuerus sua, et in spinosa Iuris et horrida, ut tum erat, disciplina multos annos versatus, magnus natu et, quod caput

caput est, socer Crassi. Quomodo ergo generum Crassum tractat? tam blande, mehercale, tam liberaliter, tam honorifice, tam nihil pro auctoritate et imperio loquens, tantis laudibus ornans, tam ei in rebus aequis concedens, vt, si socer habendus esset, liberalissimus quisque talem, tam commodum ac iucundum habere magnopere cuperet.¹⁾ Sed huius saceri humanitati et li-t) v. L. I. beralitati respondet praecclare Crassi modestia et humanitas. Scae. c. 9. 10. 17. uola dixerat: *Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse, qui ex^{23.} &c.* homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, et in hoc domicilio imperii et gloriae sit consilio linguaque princeps, cuius vestigia persequi cupiant, eius sententiam sciscitantur. Evidem te cum in dicendo semper putavi Deum, tum, vero tibi nunquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis; qua nunc te vti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii adolescentes cupiunt accedere; quibus verbis si quid non modo melius ab elegantulis nostris, sed simile proficiisci potest, omnes mihi Gratias iratas velim. Quid Crassus ergo: Ergo vero, inquit, istis obsequi studio etc. Ac primum illud, quoniam auctoritatem tuam negligere, Scaeula, fas non puto³⁾ etc. v) L. I. et alio loco; eum esse hominem unum ex omnibus, quo praesente c. 23. inceptus esse nolit.⁴⁾ Scaeula erat, auctore Cicerone iurisperitorum eloquentissimus, Crassus autem eloquentium iurisperitissimus.⁵⁾ y) In Bruto c. 24. Quid ergo ad personas aptius et ad venustatem urbanius esse potest, quam hos duos homines, inter se colloquentes, saepissime vti Iuris Rom. formulis. Huiusmodi sunt illa Scaeulae: *Quod quasi tuo iure sumfisi - - id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulisset, multisque praefessem, qui aut interdicto tecum contendarent, aut te ex iure manum consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique iure suo physici vindicarent, - - - quibus cum tibi iuslo sacramento contendere non liceret.⁶⁾* etc. Oratori, deinde, tamquam praetor, tribu⁷⁾ z) I. 10. et dat,⁸⁾ vt cum gravitate et iucunditate explicet, de quibus conf. 38. philosophi in angulis tenui quodam et exsangui sermone dispu- a) c. 13. tent, etc. Crassus autem haec sunt: *De his rebus differam, vt in creto-*

- b) c. 22. *cretionibus scribi solet, quibus sciam poteroque.*^{b)} *Discere et accipere rem atque alia eiusmodi.* Idem Crassus in toto sermone egregie urbanus et venustus inducitur. Vide modo, quae Sul-
- c) c. 21. *pitio humanissime roganti,*^{c)} *vt de eloquentia disputet, respon-*
- d) c. 22. *deat,*^{d)} *et quam ibi, velut aliud agendo, Antonio laudem tri-*
- e) c. conf. *buat; quanta denique modestia, a Graeculorum philosophorum*
- c. 24. *impudentia longe abhorrente, vtatur.*^{e)} *Dixerat, vt sit, praeter*
- f) c. 28. *opinionem, quae^{f)} humanitati non satis consentiebant, quod*
- conuenire in Sulpitium et Cottam videri poterant. Id vero anim-
- aduersum a Sulpitio mira arte corrigit ita^{g)}, *vt non laedere vtrum-*
- g) c. 29. *que, sed honore singulari afficere voluisse videatur.*^{g)} *Sulpitius,*
- vt de ceteris etiam breuiter dicam, et Cotta iuuenes per totam
- disputationem ita inducuntur, *vt neque modestiam quisquam ne-*
- que humanitatem in rogando, laudando, iudicando desiderare
- b) L. I. 21. *possit.*^{h)} *Modestiae specimen hoc vnum esto: senes disputa-*
22. 29. 36. *bant, dicendi facultas an ars sit, neque idem sentiebant. Iam*
- etc. *immodesti fuisse, quamquam solemnis ille iuuentuti mos, decer-*
- nere in ea re quicquam. Itaque Sulpitius, cum res esset nomi-*
- nanda, nihil in vtramque partem statuit: *vt vero penitus in eam*
- ipsam vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem veni-
- i) c. 21. *retis etc.*ⁱ⁾ *Quid Antonius? quam callide blandiendi Crasso ca-*
- k) c. 20. *in prae occasionem, se vero ipsum deprimit:*^{k)} *quam venuste dicit,*
- fine 21. *Sulpitium imitatorem sui fuisse: atque eriam addidit Sulpitius,*
- l) II. 21. *gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum.*^{l)} Si-
- m) II. 3. *milia de Catulo*^{m)} *et Caesare*ⁿ⁾ *affери possent. Sed in primis*
29. *delectari me fateor cum crebra illa disputationis ad Crassum, An-*
56. *tonium aliosque cum summa elegantia et delatio, et delatae de-*
- o) vid. v. *trecentio et elabi cupientes retinendi ratio;*^{o)} *tum vero, quas*
- c. I. 22. *sibi tribuunt inter se, venustae, sine absentationis suspicione, et*
29. etc. *saepe occultae laudes,*^{p)} *de quibus fusius diceremus, si locus*
- p) I. 32. 47. *pateretur.*
- II. 6. 28. *etc.*

Hic vero quid impedit, quo minus Pearcei viri doctissimi
et in emendando Cicerone saepe felicis, nuper etiam ad Suetoniū
aliquoties propterea Burmanno laudati, quasdam coniectu-
ras ad hos de oratore libros propositas breuiter examinemus;
nam omnia dicere, quae poteramus, vix nunc licet.

L. I.

L. I. c. 28. *Vocis sonus, latera, vires.* Sic scripti et editi omnes, sed Pearceo placet *laterum vires*. Sed eodem modo Cicero de senect. c. 9. *latera et vires* distinguit. Neque ibi legendum *laterum etiam virium*, ut exemplar vnum vetustum habet, et ipsi Graeuio placet. Verba enim *laterum etiam et virium* respondent antecedentibus fere: *lateribus et lacertis. Latera* simpliciter ad pulmones robustos et spiritum plenum, *vires* ad totum corpus referuntur.

C. 26. *in vobis - - et in me ipso experior.* Pearceius suspicatur scriendum esse *in me ipse* pro optimorum scriptorum more. Atque sic saepe vel optimi Critici pro casu obliquo reponunt, neque facile locum praetermittunt, quin ita etiam sine librorum auctoritate resingant. Dicam sententiam meam. Primo locorum, in quibus optimi libri et omnes obliquum casum habent, est tanta multitudo, ut vix probabile videatur, ea omnia corrupta esse. Deinde si hinc et illinc sine libris mutant obliquum in rectum, cur non semper? In Cicerone vno Graeuius, qui libenter haec loca mutat, innumerabiles reliquit; in solis Verrinis, puto, viginti aut plura. Tandem video mihi obseruasse, in oppositione, ut hic, *in vobis, in me ipso* semper esse, et recte, casum obliquum. Sic L. II. c. 3. rationem dicendi per *te ipsum vsum, per nos - - voluisti*, vbi nil Pearcei; nec c. 52. *alium - - se ipsum conf. pro Caecin. c. 14.* vbi nil Graeuius, et sic semper. Unus locus obstar, qui mihi quidem occurrit, Ep. ad Diu. I, 1, I.

32. *de actione et memoria quaedam breuiter, sed magna cum exercitatione pracepta gustaram.* P. putat legendum *percepta pracepta*. Et probat ista duo coniungi posse. Sed non probat ista posse, *percepta gustare*, quae manifeste repugnant, sensu est: *pracepta erant brevia, sed magnam exercitationem iis adiungebam*.

34. *In cogitationibus quotidianis.* MSS. et edd. vett. *Concipationibus*, vnde Manutius fecit *Commentationibus*, P. *exercitationibus*. Nihil opus. *Cogitationes et Concitationes* saepe confunduntur a Librariis vid. v. c. Gruterum et l. Gronou. ad Auct. ad Herenn. III, 16. *Cogitationes* autem quare non possint ipsae *exercitationes et commentationes* dici, non video; cum *meditari* hoc sensu dici conatur. c. 61. perfecit *meditando* Demosthenes, i. e. *exercitatione*. Sic *meditatio belli, est praeparatio ad bellum.* Eodem fere sensu *cogitatio* est apud Vitruvium.

37. *cum multis - - ornatum - - ferendum puto.* P. et multis - - efferendum. *Cum requirere tum largior, post ornatum.* Sed ultima syllaba

syllaba huius verbi fecit, vt omittetur, quod saepe factum, ut omnes Critici norunt. Repone ergo *tum*; non opus erit *cum* elicere. Neque pro ferendum lege efferendum. Vtrumque enim pro laudare dici, quis nescit praeter Pearceum? vt tollere et extollere. Non eget res exemplis.

II, 1. Etiam illud saepe intelleximus, cum essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus. Suspectus Criticis locus. Pearceus defendit, et quod pro *vt* ponit dicit, adductis exemplis quatuor e Cic. pro L. Man. c. 2. Terent. Ad. III, 2. 1. Colum. R. R. VII, 5. Ouid. Trist. V, 1. 16. sed frustra est. In loco Ter. referatur ad illud. *Quod si* est in *quosi*; quo sensu fere ab initio ponitur *quod si*: pueri enim perperam putant periodi initium esse possit *quod si*, etiam si nihil praecesserit. In Cic. refer ad *Genus*. Locus Colummellae est corruptus. In ed. Cel. Gesneri est: *Siquidem nec*, delecto *quod*; et recte. Sin sana lectio, sensus: Sic quidem accedit, quod i. e. *quia*, non *ut*. Locus Ouidii, semper suspectus fuit v. Heinius, et reliqui Intt. Gronouiana distinctio rem forte confidere potest. Sed si saluus locus est e Perizonii ad Sanctum p. m. 509. sententia, tamen ex Perizonii explicatione nil prodest Pearceo. Legendum ergo, ni fallor, *cum esset eiusmodi*.

II, 2. bene dicere - - *septa*. *Septa* referatur ad *bene dicere*; vnde Pearceus manuult: *septum* cum Lambino, sed sine libris. Intellige *eloquentia*, quod verbum in illo *bene dicere* latet. Neque ea infrequens ratio est. Ap. Sallust, B. Cat. c. 18. in verbo *coniservare* latet *coniservatio*: *coniservare pauci*, *de qua dicam*. Cic. ad Diu. II, 3. quid *sentiam*, scribam etc. ne *ad eam* meditere, int. sententiam. Pro Muraen. c. 13. decreta vestra saepe evertuntur *dicundo* - - *in qua re*. Sic in edd. vulg. Sed Pall. Codd. Victor. edd. Vett. *in qua*; non *ut defensione* intelligatur, *ut Gruteri* vixum, quod Graevius vidit sententiae repugnare, sed *eloquentia aut dicendi facultate*, conf. Cortius ad Sall. I. c. Alia transimus; res enim vel ex his manifesta.

II, 19. *Dividunt totam rem in duas partes, in causae controuersiam et in quaefitionis.* P. placet: *quaefitionem*. Controuersia dicitur de *causa* ἵποτε; largior. Sed id non impedit, quo minus eadem sit *causae* et *quaefitionis* genus. *Quaefitio* quoque de *θέσι* dicitur, vt h. I. Sed nihilominus Cic. in Topic. c. 21. *Quaefitionum* duo sunt *genera*, alterum *infinitum*, alterum *definitum*. *Definitum* est, quod ἵποτε Graeci, nos *causam*; *infinitum*, quod θέσι illi appellant, nos *propositum*. Vides hic *quaefitionem* genus esse, *causam* autem

autem formam. Sed manum de tabula. Haec autem nunc scripsimus ut intelligerent iuvenes, quam caute sit in emendandis auctioribus versandum, neque sine multa, quotidiana, diurna ac pene infinita lectione ipsorum auctorum aliquid hic magnopere praefari posse. Neque tamen haec eo dicuntur, vt de Pearcei laudibus detractum velim. Nam, quod de Bentleio dicere soleo, quem, vt quisque est in hoc literarum genere indutior, ita magis fere reprehendit, quod igitur de eo dicere soleo: eius ingeniosam et doctam audaciam pluris esse faciendam atque tardam aliorum et stupidam religionem; id de Pearceio etiam dictum velim.

Quemadmodum vero Cicero in his Libris oratorem effinxit eiusmodi, qui nullius artis liberalis sit imperitus; sic diu est, cum perfecti Grammatici et literatoris nobis hanc informatiimus speciem, a qua nulla liberalis ars et disciplina absit. Quare cum essent ex Voluntate B. IO. ERNESTI KREGELII S. R. I. Equitis de STERNBACH Praediorum in Gossa et Abtnauendorf Domini oratiunculae in Schola nostra de quacunque materia, sed ita tamen habenda, vt amplissimi beneficii ab ipso Scholae nostrae tributi memoria recoleretur, iussimus sex optimae spei adolescentulos

CHRISTIANVM WILHELMVM KVSTNERVM

IOANNEM GODOFREDVM LAZERVVM

IOANNEM BENEDICTVM CARPZOVIVM

GOTTLOB FRIDERICVM MUNCHIVM

GOTTLOB AVGVSTVM ZWICKERVM,
Lipsienses.

GOTT-

GOTTLOB CHRISTIANVM ALBRECH-
TVM, Bornensem.

de laudibus I. ALB. FABRICII Lipsiensis, nuper literis
erepti dicere, qui proxime ad hanc perfecti literatoris formam
accessit; si forte ea res aliquam vim ad animos cum ipsorum
tum commilitonum aut confirmandos, aut ad maiorem indies
diligentiam summaeque laudis studium incendendos valere possit.
In ipso autem beneficio KREGELIANO celebrando verfa-
bitur oratio

CHRISTIANI DAVIDIS SEYFFERTI,
Gossensis.

Quos ut Patroni et Fautores Scholae nostrae cras hora IX. au-
dire, si quibus commodum est, velint, humanissime rogamus.

Scr. e Schola Thomana d. XXVII. Aug. A. C.


CCCLXXXVI.



Ch 2218, 80

rd 18





PROLVSIO
QVA
AD
ORATIONES VII.
QVAE
IN
SCHOLA THOMANA
A. D. XXVIII. AVG. A. cIɔIɔCC XXXVI.
HABEBVN TVR
AVDIENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
INVITAT
RECTOR
IO. AVG. ERNESTI

LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIANIS.

*P. de ingenio et artificio libror.
Ciceronis de Oratore.*